



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Sacramentis in Genere, & duobus primis in specie

Bosco, Jean a

Lovanii, 1665

Sectio Sexta. De Reviviscentia Sacramentorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73340)

huiusmodi, gratias agit Corpori & Sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.

63. Non obstat secundo, Eucharistia conferre suum effectum per modum cibi.

Secundum fundamentum fit: Sacramentum Eucharistiae (ut jam dixi) confert suum effectum per modum cibi: porro cibus non nutrit sine actuali cooperatione viventis, in cuius substantiam convertitur. Sed ad hoc responsum est conclusio praecedenti. Adde hic, in parvulis & phreneticis nullam inveniri cooperationem, & tamen Eucharistia confert ipsis suum effectum per modum cibi; quia (ut ibi diximus) non convertitur cibus in sumentem, sed potius e contra sumentem

convertit in seipsam.

Dices: Saltem requiritur semper cooperatio in adultis. Esto: dico voluntatem suscipiendi Sacramentum magis esse cooperationem, quam praesentem devotionem, cum haec aliquando non influat, v. g. in homine extraneo, quando illa contemplatio & amor ex ea ortus non sunt causa accipiendi Sacramentum, sed voluntas praeterita qua accessit, qua semper influat & causet quatenus virtualiter perseverat.

Atque haec fit finis hujus sectionis; habent enim molestissimam quaestionem quaeruntur.

Voluntas suscipiendi Sacramentum magis est cooperatio, quam praesens devotio.

SECTIO SEXTA.

De Reviviscentia Sacramentorum.

1. Sacramentum quandoque valide recipitur, sed sine fructu.

Contingit interdum Sacramentum aliquod, puta Baptismum, valide suscipi, sed sine fructu, defectu debita dispositionis; & tunc non levis oritur controversia, utrum accedente necessaria dispositione, Sacramentum praexistens ex opere operato causet gratiam, veluti si jam actualiter ministraretur?

Secus.

Quod alijs verbis proponit Doctor Subtilis 4. dist. 4. q. 5. An adultus fictus recipiat effectum Baptismi? (Idem quaeri potest de alijs Sacramentis) Respondet autem n. 2. Fictus dicitur, qui aliud praerendit exterius, aliud habet interius: potest ergo aliquis in suscipiendo Baptismum esse fictus dupliciter. Uno modo, quod ostendat se velle recipere illam abluionem eo modo, quo Ecclesia intendit eam conferre, & tamen oppositum habet in animo; & ille non recipit Sacramentum, quia simpliciter est nolens respectu abluionis sacramentalis..... & si talis postea recederet a fitione, esset baptizandus..... Alio modo potest aliquis esse fictus, ostendendo se esse dispositum ad recipiendum Sacramentum, & tamen non est dispositus interius, vel quia non habet rectam fidem, vel quia habet aliquod peccatum mortale tunc in actu (v. g. simoniam, odium proximi &c.) vel praeteritum, de quo nullo modo atteritur vel conteritur. Et de isto secundo modo communiter loquuntur Sancti & Doctores de fide baptizato, quaerentes

Hinc quadruplex quaestio.

Primo, an in ipsa susceptione Sacramenti accipiat ejus effectum, puta gratiam sanctificantem? Secundo, an sublatam fitione live obice (ut vocant) gratiam sacramentalem accipiat vi praesentis Sacramenti? Tertio, an vi ejus accipiat remissionem om-

nium peccatorum, tam scilicet eorum, quae commissa sunt tempore susceptionis Sacramenti, quam praecedente? Quarto, quamnam ad hoc dispositio requiritur?

Ad primam quaestionem facilis est responsio; Dico (utor verbis Scoti supra) quia nolentem Deus non justificat, secundum illud Aug. Qui creavit te sine te, non justificabit te sine te; isle qui habet actualiter obicem contra gratiam, puta infidelitatem, vel aliquod peccatum, quod tunc actu voluntatis committit vel quod prius commisit, & nullo modo sibi displicet, nullo modo recipit gratiam, secundum August. ubi supra: Omnis qui suae voluntatis arbiter constitutus est, &c. Et de isto intelligitur illud Sap. 1. v. 5. Spiritus Sanctus discipline effugiet fictum. Vide dicta sect. praecedenti.

2. Responsio ad primam.

Sap. 1.

Pro responsione ad secundam quaestionem erit

CONCLUSIO I.

Sacramentum Baptismi valide collatum, si propter fitionem seu obicem in suscipiente repertum informe fuerit, id est, gratiam sanctificantem (characterem semper imprimit) non contulerit, eam conferet postea, cum fictio seu obex subla-

sublatus fuerit, & ita reviviscet.

3.
Sacramentum invalidum & collatum nunquam potest reviviscit ad ullum effectum.

P Rænotandum ly validè collatum: nam si ab initio fuerit invalidum, sive ex defectu intentionis ministri, sive suscipientis, sive propter defectum materiæ aut formæ, nunquam postea reviviscet ad ullum omnino effectum.

Ratio est manifesta: quia nequit reviviscere quod non fuit, neque est; quemadmodum non confirmatur privilegium, quod non præextitit; aut contractus, qui à principio civiliter & naturaliter fuit nullus. Suppleri quidem potest materia, forma vel intentio, & obtineri effectus, sed per Sacramentum, quod de novo ministratur, non autem per reviviscenciam prioris invalidi.

4.
Conclusio est probabilior, innixa auctoritate D. Augustini.

Conclusio utrius communior, ita etiam est probabilior. Nicitur præcipue auctoritate D. Aug. qui lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 12. sic ait: *Quod si demeritissimum est dicere (ab hæreticis baptizatos esse rebaptizandos) fateantur Donatistæ vero Baptismo Christi baptizari posse hominem, & tamen cor eius in malitia vel sacrilegio perseverans, peccatorum abolitionem non sine fieri: atque ita intelligant in communione ab Ecclesia separatis posse homines baptizari, ubi Christi Baptismus eadem Sacramenti celebratione datur & sumitur, qui tamen tunc prostr ad remissionem peccatorum, cum quis reconciliatus unitati, sacrilegio dissensionis exiit, quo eius peccata tenebantur & dimitti non sinebantur. Sicut enim in illo, qui scilicet accesserat, fit, ut non demò baptizetur, sed ipsa piâ correctione & verâ confessione purgetur, quod non possit sine Baptismo, sed ut, quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cum illa scilicet veraci confessione recesserit. Sic etiam iste, qui Baptisma Christi, quod non amiserunt qui se separaverunt, inimicè charitatis & pacis Christi, in aliqua heresi aut schismate accepit, quo sacrilego scelere peccata eius non dimittebantur, cum se correxerit & ad Ecclesie societatem unitatemq; venerit, non iterum baptizandus est, quia ipsa reconciliatione ac pace præstatur, ut ad remissionem peccatorum eius, in unitate iam prodesset incipiat Sacramentum, quod acceptum in schismate prodesset non poterat.*

Idem docet lib. 3. cap. 13. ibi: *Tunc incipit valere idem Baptismus ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesie pacem venerint; non ut iam dimissa non retineantur, neque ut ille Baptismus quasi alienus aut alius improbetur, aut alter tradatur, sed ut idem ipse, qui propter discordiam foris operabatur mor-*

tem, propter pacem intus operetur salutem.

Consimiliter loquitur lib. 6. cap. 5. ibi: *Et ideo si ab illa perversitate correctus & à separatione conversus venerit ad Catholicam pacem sub eodem Baptismo, quod acceperat, etiam peccata dimittuntur propter vinculum charitatis, sub quo Baptismo peccata eius tenebantur propter sacrilegium divisionis. Rationem adjungit: Quia (inquit) illud in homine iusto & in homine iusto semper sanctum est, quod neque aequitate alicuius augetur, neque alicuius iniquitate minuitur.*

Quæ verba omnes Scholastici sic interpretantur, ut significant Baptismum fictè susceptum, recedente fictione prodesset ad effectum, quem in principio ratione impedimenti seu obicis non habuit. At verò dissentunt in explicatione illius effectus, quem aliqui statuunt solam remissionem totius pœnæ etiam temporariæ, pro peccatis dumtaxat, quæ ante Baptismum & cum ipso commissæ sunt, ita ut hæc pœna semper ex opere operato virtute Baptismi relaxetur, cum tamen ratione Contritionis aut Sacramenti Pœnitentiæ non semper omnino tollatur. Ita Vasq. 3 parte tomo 2. disp. 159. cap. 4. n. 38. citans Gabriëlem & Scotum, veluti qui clarissimè denegent Baptismo, recedente fictione, remissionem alicuius culpæ ex opere operato.

Equidem Scotum legi & relegi, & oppidè miratus fui profunditatem & claritatem ingenij Vasquesiani videntis quasi facie ad faciem, quod nec ego, nec alius quispian vel per speculum in ænigmatè.

Intendamus paulisper verbis Doct. Subtilis 4. dist. 4. quæst. 5. n. 4. *Et si obiicit, quomodo habebit iste (fictus) gratiam baptismalem, vel effectum aliquem Baptismi? Vno modo potest dici, quod illa fictio non dimittitur, nisi per veram Pœnitentiam: sed eâ dimissa habet Baptismus effectum suum respectu omnium peccatorum precedentium Baptismo, quæ tamen non erant causa fictionis in Baptismo. V. g. aliquis ante Baptismum commisit septem peccata mortalia, & veniens ad Baptismum de sex attritum, septimum autem actu placet, vel de eo nullo modo attritum; illud septimum solum est causa (positiva) fictionis eius in Baptismo: oportet ergo, quod vere pœniteat de isto septimo & in se, & in quantum fuit causa fictionis eius in Baptismo. Quod pro tanto dico, quia forte peccavit novo peccato mortali (ait forte, quia potuit excusari per ignorantiam) faciens irreverentiam Sacramento Baptismi, recipiendo illud cum tali fictione: sed recedente illâ fictione (quæ fuit impedimentum effectus Baptismi) Deus confert gratiam baptismalem in remedium cõtra alia peccata, quæ fuissent deleta in Baptismo, nisi fictio occurrisset.*

Q 3

Et

Sentenria Vasquez citantis pro se sed male Scotum.

Et post pauca: Sicut Deus signo suo prius adhiberet ad causandum effectum eius vel dandum, quando suscipiebatur, nisi fuisset impedimentum in suscipiente; ita paratus est semper post susceptionem eius signi abistere ei, qui suscipit, ad causandum effectum eius, quando cessat illud impedimentum. Quomodo evidentiùs & illustriùs potuisset Baptismo, recedente fictione, concedere remissionem omnium culpæ & poenæ?

Porro quia hic modus dicendi non caret difficultate, quam ibidem objicit & probabiliter solvit (ut infra videbimus) hinc solito sui intellectus acumine rem subintrans, secundum & tertium modum excogitavit.

7. Secundum n. 7. ibi: Aliter potest dici, quod quando verè aliquem panitet de fictione illa, gratia infunditur sibi perfectior, quam esset illa, quæ præcisè virtute Pœnitentiæ infunderetur: ita quod illa includat in se perfectionem gratiæ pœnitentiæ & baptismalis; & hoc modo Baptismus habet effectum, quia gratia æquivalens gratiæ baptismali datur pœnitenti de fictione simul cum illa, quam meretur de pœnitendo.

In quibus verbis majorem effectum gratiæ attribuit Pœnitentiæ intuitu Baptismi, tamquam prævia dispositionis: etenim per Baptismum, etiam fictum, suscipiens fit de familia Christi; adeoque magis disponitur ad recipiendam gratiam per Pœnitentiã in prima justificatione, ad quam specialiter Baptismus ordinatur. Sed & ille modus suas habet inconvenientias, quas vide ibi.

8. Quapropter n. 8. Tertio (inquit) modo principaliter (id est, ad principalem questionem, non autem (ut vult Vas. supra n. 41.) principalitè & probabilitè) potest dici, quod ille panitens de fictione tantum recipit gratiam virtute Pœnitentiæ: & ita non maiorem, quam si non fuisset fictus in Baptismo, & post Baptismum cadens resurgeret per Pœnitentiã &c. Et tunc illa verba, quæ dicuntur (à D. Aug.) de effectu Baptismi, quem sortitur panitens de fictione, intelligenda sunt, non quod in Pœnitentiã illa recipiat gratiam aliquam virtute Baptismi (quia susceptio eius mortua fuit, & mortuus reviviscere non potest) sed absolutus est à præcepto de Baptismo suscipiendo, quia illud implevit: illa autem impletio nihil sibi valuit ad salutem ante istam pœnitentiã.

Scotus dist. ferens de effectu reviviscens Sacramenti, non facit mentionem solius remissionis poenæ.

Hæc sunt, quæ subtiliter differit Scotus de effectu reviviscens Baptismi, in quibus nulla fit mentio solius remissionis totius poenæ, etiam temporariæ. Quàm igitur impertinenter à Vasquesio citatur pro ista sententiã? Bonorum ingeniorum indoles est in verbis verum amare, non verba.

Videtur aliquibus fati esse, si aliquid dicant de Scoto, verum sit an falsum, floccipendentes. Cæterum liberam reliquit Doctor unicuique electionem huius vel illius modi: solam autem poenam remitti (ut etiam advertit Hiquæus in suo commentario ad locum præfarum n. 42.) neque hæc, neque alibi dixit, quantum pro nunc occurrit; neque consequenter dici potest nam si ulla efficacia per modum Sacramenti ipsi tribuenda est, debet salvari primaria (id est, efficacia gratiæ baptismalis, quam consequitur remissio omnium culpæ & poenæ) juxta primum modum, qui magis communis est, & quem ut magis probabilem defendit Doctor; quippe & eum primo loco statuit, & in Reportariis eum solum adducit, alijs superfedendo.

9. Probatur autem primò ex verbis D. Aug. in quibus Baptismo præterito adscribit salutem, remissionem peccatorum & vitam, quæ sunt effectus gratiæ sanctificantis.

Similibus verbis utitur Auctor Ser. de Passione apud Cyprianum, ibi: Et licet indigni sint, qui accipiunt, Sacramentorum tamen reverentiã & propinquorem ad Deum parat accessum; & ubi redierint ad cor, constat ablutionis donum, & redit effectus numerum.

Consonat Gregorius lib. 9. Epist. 61. & refertur de consec. dist. 4. can. 44. Sanctum (inquit) Baptisma, quod sunt apud hereticos consecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cum vel illi per impositionem manus Spiritum Sanctum acceperint, vel isti propter professionem veræ fidei Sanctæ & universalis Ecclesiæ visceribus fuerint uniti.

Eadem lego apud Isidorum Hispalensem lib. 2. Officiorum cap. 24. Habet quidem Baptismum Christi hereticus, sed quia extra unitatem fidei, nihil ei prodest: at ubi ingressus fuerit, statim Baptisma, quod habuerat foris ad perniciem, incipit illi iam prodesse ad salutem.

Accedat Collatio 54. Carthagine habitã contra Donatistas: Ideo (inquit) ad Christum venire debent, qui extra communionem Baptismi eius habent, non ut quod deerat adsit, sed ut quod inerat prosit. Ad quid putas, nisi ad salutem, remissionem peccatorum & vitam? Haud dubito, quin etiam ad illa, si (quod plerique admittunt) prosit ad remissionem poenæ temporaliæ. Profectò nec ipsum Sacramentum Pœnitentiæ tollit debitum poenæ absque prævia vel concomitante infusione gratiæ sanctificantis ex opere operato.

10. Audio reclamantem Vasquesium supra cap. 3. n. 35. & dicentem: Ut Aug. hoc privilegium Baptismo tribueret, fundamentum

Hiquæus

Probatio Conclusio nis ex D. Augustino

Auctor prim de pass. apud Cyprianum

Gregorio

Ad fundamentum Vasquesium in oppositum

rum aliquod aut traditionis, aut definitionis Ecclesie, aut Scripturæ, aut rationis denique habere debuisset: Ecclesie autem traditionem usque ad sua tempora fuisse, minime constat; neque ipse eam allegat: definitionem præterea Ecclesie, aut Scripturæ testimonium nullum esse, manifestum est: denique nullam esse rationem, quæ ad id asserendum cogat, præsertim cum illud pendeat ex Dei voluntate, qui aliter potuisset statuere, constat ex dictis hoc capite. Unde igitur Aug. hoc privilegium Baptismi; quod ex sola Dei voluntate penderet, colligere potuit?

Responde-

Interrogabo Vasquesium & ego unum verbum: Baptismus reviviscens remittit ex opere operato penam temporariam, an non? Remittit (inquis cap. 4. n. 46.) At unde D. Aug. hoc privilegium, quod non minus penderet ex sola Dei voluntate, colligere potuit? Responde mihi, & ego dicam tibi, ex quo colligere poterit privilegium remissionis peccatorum.

Respon-

Meminisse debueras, quod scriptum reliqueras i. parte q. 89. c. 1. Multo melius nobis est eam Aug. quam cum alijs sentire, qui in materia dei Gratia & de Prædestinatione, inter ceteros Ecclesie Patres non aliter, quam sol inter cetera minorâ sidera, præfulget. Sanè eximia viri sanctitas & doctrina sufficere abundè tibi debuissent, ut eum Suario in prologo de Gratia cap. 6. diceret: Non tantum in rebus, quas Aug. certas existimat, sed etiam in his omnibus, quæ simpliciter & tanquam probabiliora constanter & ubique amplectitur, sententia eius præferenda est, nisi cum maior auctoritas Patrum & Ecclesie obstare videatur.

Suarez,

11. Angelini nulli simpliciter asserere Baptismum reviviscens ex opere operato conferre gratiam sanctificantem, probatur ex ipso Aug. primo.

Dices: D. Aug. nulli simpliciter asserit Baptismum reviviscens ex opere operato conferre gratiam sanctificantem. Probatur primo: quia non fuit ipsi questio cum Donatistis de reviviscencia Baptismi quoad collationem gratiæ, sed de validitate Baptismi in schismate aut hæresi suscepti; illis negantibus hujusmodi Baptismum valere, & proinde asserentibus ita baptizatos debere rebaptizari, cum ad Ecclesiam revertuntur; Augustino verò oppositum affirmante, quia nimirum cum tollitur fictio revertendo ad Ecclesiam, Baptismus incipit valere ad salutem, quia videlicet & fuit impletum præceptum Baptismi, & utiliter imposterum recipi possunt alia Sacramenta, per quæ fit remissio peccatorum, quæ proinde Baptismo tanquam radici imputatur, non autem formaliter & proximè.

12. Probatur secundo.

Probatur secundo: quia Aug. simpliciter asserit Baptismum incipere valere hoc ipso, quod quis revertitur ad Ecclesiam; ergo solum intendit, quod homo tunc per Bap-

tismum constituatur in eo statu in quo utiliter possit percipere reliqua Sacramenta; non autem quod Baptismus hoc ipso operetur effectum gratiæ: quippe ut peccata dimittantur, certum est non sufficere, quod quis ad Ecclesiam redeat & hæresim relinquat, sed requiritur insuper poenitentia seu dolor de peccatis.

Probatur tertio: Aug. lib. 1. de Nuptijs & Concupiscentia cap. 33. docet, lavacro regenerationis & verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundari atque sanari, etiam quæ posteriora sunt Baptismo. Etenim explicans illud Apostoli ad Ephes. 5. v. 25. 26. & 27. Christus dilexit Ecclesiam & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vita &c. Sic (inquit) accipiendum est, ut eodem lavacro regenerationis & verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundentur atque sanentur, non solum peccata, quæ omnia nunc remittuntur in Baptismo, sed etiam quæ posterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur, non ut Baptisma quoties peccatur, toties repetatur; sed quia ipso, quod semel datur, sit, ut non solum antea, verum etiam postea, quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. Quod sine dubio non formaliter, sed causaliter solum potest intelligi, ut significat verbis immediatè sequentibus: Quod enim (inquit) prodesse vel ante Baptismum Poenitentia, nisi Baptismus sequeretur; vel postea, nisi præcederet? Ergo similiter intelligenda sunt verba citata ex lib. 1. 3. & 6. de Baptismo.

13. Probatur tertio.

Ephes. 54

14. Probatur quarto.

Probatur quarto: quia libro 1. cap. 12. purgationem peccatorum videtur non Baptismo, sed confessioni tribuere, per quam fit, ut Baptismus susceptus, quem iterum recipere non est necesse, incipiat valere & prodesse modo statim explicato.

Similiter lib. 3. cap. 13. dicit Baptismum non valere ad hoc ut jam dimissa peccata (nempe per contritionem & pacem Ecclesie & reconciliationem cum ea) non retineantur; hoc est remittantur; quia scilicet jam dimissa per Poenitentiam remittere non potest; ergo deservit & prodest tertio dumtaxat motio supra ex Scoto relato.

Denique lib. 6. cap. 5. solum dicit, quod sub eodem Baptismate, quod acceperat, eius peccata dimittuntur propter vinculum charitatis &c. Non est autem idem sub illo Baptismo dimitti, ac per illum dimitti.

15. Responso ad primam & tertiam probationem.

Respondeo: Licet principalis questio Augustinum inter & Donatistas fuerit de validitate Baptismi: occasione tamen ejus ulterius progressi sunt, ut patet ex cap. 11. lib. 1. Siquidem Donatistæ à Catholicis petebant,

petebant, an Baptismus susceptus in suo schismate remitteret peccata & conferret Spiritus Sancti gratiam? Si concedatur, inquebant: ergo Spiritus Sanctus datur apud nos, atque ita habemus veram Ecclesiam. Si negetur: ergo debetis redeuntes à nobis ad vos iterum baptizare.

Quibus Aug. cap. 12. respondens, similiter ab ijs petit, utrum fictè, sive sine dolore peccatorum in vera Ecclesia baptizato (quem etiam ipsi fatebantur non debere rebaptizari) remittantur peccata, nec ne? Deinde subiungit duplicem modum, quo possit responderi eorum objectioni: primus & verus est, qui continetur verbis supra allegatis, nimirum tali non valere Baptismum ad salutem quando baptizatur, sed postea quando se convertit: quæ responsio non esset ad mentem Donatistarum, si intelligeretur solum de remissione peccatorum (ut sic dicam) radicali; nam ipsi loquebantur & petebant de formali & immediata, ut patet.

Unde etiam dicit Baptismum, qui propter fictionem non poterat operari, eâ sublata habere suum effectum. Et lib. 3. cap. 13. docet Baptismum, qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem interius operari salutem; atqui foris operabatur mortem immediatè, ergo & salutem intus. Et lib. 1. cap. 10. dicit Baptismum esse quoddam semen Christi, quo Ecclesia, etiam per hereticos, generat filios, quod quidem malâ voluntate suscipientium potest impediri, non tamen omninò corrumpi aut tolli; & consequenter ablato impedimento per legitimam dispositionem conferret suum effectum. Liqueat igitur non posse illum esse sensum cap. 12. lib. 1. de Baptismo, & lib. 3. cap. 13. qui est cap. 33. lib. 1. de Nuptijs & Concupiscentia. Atque ita responsum est ad primam & tertiam probationem.

16.
Responso
ad secundam
probationem.

Ad secundam dico, Aug. fatè indicare se loqui de eo, qui revertitur ex vera & sincera correctione (aliàs non tam censetur reverti, quàm fingere) adedque ex detestatione sui erroris ac peccati. Quid enim aliud significant illa verba cap. 12. *Cum quis reconciliatus unitati, sacrilegio dissensionis exiit? Et illa: Sed ipsa piâ correctione & verâ confessione purgetur, quod non posset sine Baptismo; sed ut, quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit?*

Ubi non soli confessioni (prout vult quarta probatio) adscribit remissionem peccatorum, sed magis ipsi Baptismo; confessioni autem sublationem obicis sive fictio-

nis. Unde dicit: *Prodesse iam in unitate Sacramentum, quod acceptum in schismate prodesse non poterat*; quibus verbis significat ad id, & eodem modo prodesse postea, ad quod, & quomodo prius prodesse non potuit; ergo ex opere operato ad remissionem peccati.

Nec obstant verba adducta ex lib. 3. cap. 13. Ex antecedentibus quippe planum est, non illum esse sensum eorum, qui ijs tribuitur in quarta probatione; sed alium longè diversum juxta intentum Aug. de duplici respondendi viâ ad quæstionem Donatistarum, de qua supra egerat lib. 1. cap. 12. Accipite ejus verba: *Si sit illic remissio debitorum per Baptismi sanctitatem, rursus debita redeunt per heresim aut schismatis oblationem; & ideo necessarium habent huiusmodi homines venire ad Catholicam pacem, ut heretici & schismatici esse iam desinant, & eorum, quæ in illos redierant, purgationem peccatorum in unitatis vinculo charitate operante mereantur, utique ex opere operantis per Contritionem, aut ex opere operato per Confessionem; quæ non prodesset, nisi Baptismus præcessisset.*

Si autem quamvis apud hereticos vel schismaticos idem sit Baptismus Christi, non tamen ibi operatur remissionem peccatorum propter eandem discordiam fedelitatem & dissensionis iniquitatem; tunc incipit valere idem Baptismus ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesie pacem venerint, non ut iam dimissa non retineantur, id est, iterum remittantur, juxta primam viam respondendi, per Contritionem vel Confessionem; neque ut ille Baptismus quasi alienus aut alius improbetur, aut alter tradatur; sed ut idem ipse, secundum alteram viam, qui propter discordiam foris operabatur mortem, proximè & formaliter, propter pacem, tollentem obicem peccati, intus ex opere operato operetur salutem; id est, remissionem peccatorum.

Ex his colligo probationem ad ultimam probationem, ut sub Baptismate idem sit, quod per ipsum Baptisma; tum quia id sæpe antea dixerat, ut vidimus: tum quia immediatè subijcit rationem: *Quia illud & in homine iusto, & in homine iniusto sanctum est, hoc est, habet vim sanctificandi, si cætera requisita adsint. Quæ ratio extrarem esset ad probandum, non per Baptismum, sed aliunde peccata dimitti.*

Quod enim dicit Vasq. supra n. 50. rationem illam adferri ab Aug. non ad probandam efficaciam illius manere, ut recedente fictione ex opere operato peccata remittat, sed ut verus Baptismus censetur, qui iterum repeti non potest: hoc (inquam) non potest aptari textui, cum neque in eo capite,

171

S. Aug.

18.
Responso
ad ultimam
probationem.

Vasquez.

Secl. 6. De Reviviscentia Sacram. Concl. 1. 129

capite, neque in præcedenti verbum ullum fecerit Aug. de repetendo vel non repetendo Baptismo, sed de ejus efficacia & utilitate.

Quæ cum ita sint, manu teneo auctoritatem D. August. quæ una pro multis mihi semper erit: quamvis nec una sit, nec destituta omni fundamento sive rationis, sive definitionis Ecclesiæ aut Scripturæ. Unde

19. Argumentor secundò pro communi sententia ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 4. ibi: *Quæ quidem translatio (id est justificatio) post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis aut eius voto fieri non potest, sicut scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Joannis 3. versu 5. Ergo si quis Baptismo indignè recepto, postea per contritionem justificatur; verè erit renatus ex aqua & Spiritu Sancto; ergo Baptismus in eo verè causavit gratiam, quoniam renasci quempiam ex aqua non est aliud, quàm Baptismus in eo causare gratiam, per quam renascatur, dicente D. Augustino lib. 1. de Baptismo, cap. 11. Quid enim est renasci per Baptismum, nisi à vetustate renovari? Quomodo autem renovatur à vetustate, cui peccata præterita non dimittuntur? Prior consequentia probatur: quia si non esset renatus ex aqua, quantumcumque esset justificatus, deberet ex aqua renasci, ut patet in justificato per contritionem ante Baptismum: atqui hæreticum est, talem debere rebaptizari; ergo &c.*

20. Do (reponit quispiam) rationem disparitatis ex Scoto supra n. 8. *Recipit effectum Baptismi, quando pariter fit et baptizatus; quia est filius regni: & non obligatur ad suscipiendum Baptismum, ad hoc ut sit filius regni: quia illud præceptum implevit. Nam (ut ibidem notat) Actualiter peccans mortaliter, in alio, sive in illo actu potest implere præceptum affirmativum, etiam in illo actu. Ergo talis justificatio non fit sine lavacro regenerationis, & in re ipsa; siquidem præcessit realis susceptio Baptismi; & etiam quoquo modo in voto præsentis, quatenus eliciens contritionem vel attritionem sic est dispositus, ut Baptismum suscipere paratus foret, si non suscepisset.*

Adde Tridentinum solùm docere necessitatem Baptismi, & quid fiat dum Baptismus licitè & debitè recipitur: semper enim tunc per illum aut ejus votum homo justificatur. Nam certè et si Baptismus non revivisceret (quorum alterutrum determinare non erat scopus Con-

cilij) adhuc potuisset sic indefinitè loqui.

Sed hæc ratio quamvis probabilis sit (ut doctè ostendit Valq. supra cap. 4. n. 47. & sequentibus, accommodans illi verba D. August.) attamen non plenè satisfact: quippe Baptismus non tantùm necessarius est necessitate præcepti, quemadmodùm restitutio rei alienæ, auditio sacri, jejunium & similia, quæ positivè non influunt in justificationem, sed solùm removoent prohibens, scilicet peccatum; verùm etiam necessitate mediij, tamquàm causa per se moralis gratiæ justificantis.

Quapropter sicuti justificatus per contritionem antecedentem, per Baptismum subsequenter amplius justificatur; consimiliter conveniens planè erat, ut justificatus per contritionem subsequenter, amplius justificaretur per Baptismum præteritum, ut etiam in eo regeneratione munderetur, quod generatione contraxerat. Etenim quid consistit (verba sunt Clementis Papæ epist. 4. post medium) aqua Baptismus ad Dei cultum? Primum quidem, quia quod Deo placuit, impletur. Secundo, quia regenerato ex aquis & Deo renato fragilitas prioris natiuitatis, quæ vobis per hominem facta est, amputatur; & ita demum pervenire poteritis ad salutem: aliter impossibile est.

Unde (nota bene) Christus Joannis 3. non tantùm dixit: *Oportet vos nasci denovo. 7. sed præmisit versu 3. & 5. Nisi quis renatus fuerit.* Concilium quoque Trident. non sic loquitur: *Quæ quidem translatio post Evangelium promulgatum per lavacrum regenerationis aut eius votum fieri debet; sed conformiter dicto Christi: Sine lavacro aut eius voto fieri non potest.* Hinc

Argumentor tertio: opera nostræ redemptionis, & media ad salutem ordinata, interpretanda sunt juxta divinam bonitatem, ut factum illud intelligatur, quod magis est secundum divinam misericordiam, nostrum profectum, & Sacramentorum commendationem & reverentiam, ac magis inclinât homines ad ea suscipienda: atqui reviviscentia Baptismi ad effectum gratiæ magis commendat bonitatem divinam; ergo &c. Minor probatur: quia Baptismus est Sacramentum initiativum, sive principium totius vitæ Christianæ, initerabile, atque constituens baptizati debitorem universæ legis Christi servandæ: congruit igitur ut impeditum vel per malitiam, vel certè per ignorantiam, dum suscipiens Sacramentum putat se habere dolorem supernaturalem, cum sit tantùm humanus, quod non rarò potest contingere; congruit (inquam) ut ablato impedimento conferat gratiam

R.

21.

Sed non plenè satisfact.

Clem. Papæ

Joan. 3.

Trident.

22.

Argumentum tertium ex bonitate divinæ.

Argumentum secundum pro conclusione ex Tridentino sine:

S. August.

Scotus.

Cui probabilius contradicit Valquez.

gratiam initialem & regenerativam, ac per consequens auxilia actualia maximè utilia, immò quodammodò necessaria ad observantiam Legis Christianæ; sic namque magis sollicitatur fìctus ad dignam penitentiam faciendam, & elucet suavissimè providentia Dei & Christi, qui venit peccatores salvos facere non per actus internos tantùm, sed per remedia quoque externa remissiva peccatorum, tam ante, quàm post Baptismum commissorum.

Et quæ illa, nisi Baptismus & Sacramentum Penitentiae? Consentiant omnes. Ergo oportet Baptismum reviviscere, Negant aliqui consequentiam, & argumentum retorquentes: quia (inquiunt) illa duo instituta sunt in remissionem peccatorum, ideo non oportet Baptismum reviviscere.

Objectio

23.
Probata ex
Scoto.

Probat ex Scoto supra n. 5. Per penitentiam deletur ista fìctio per te: non autem potest deleri unum peccatum mortale, quàm deleantur omnia, quia secundum D. August. impium est à Deo dimidium sperare veniam: ergo per illam Penitentiam iam deletur omnia alia peccata; non ergo gratia baptismalis delet illa alia. Agit de obice positivo, hoc est, de peccato mortali actuali commissio in ipsa susceptione Baptismi, quod supponit esse materiam necessariam Sacramenti Penitentiae.

Augetur difficultas ex hoc, quod sequitur: Si dicatur ad primum istorum, quòd Penitentia quantum est de se, potest delere omnia peccata; tamen quando preventitur ab aliqua causa potentiori, non delet illa: sed ista causa est hic quantum ad alia sex peccata, scilicet gratia baptismalis, quæ preventit penitentiam vel effectum eius. Hoc non videtur rationabile, quia prius naturaliter tollitur fìctio, quàm per Baptismum aliquid causetur: sed in illo priori oportet habere veram Penitentiam, quia fìctio non tollitur sine vera Penitentia; secundum August. vera Penitentia plene reconciliat Deo quantum ad omnia: ergo Baptismus non potest prevenire effectum Penitentiae quantum ad aliquid delendum ibi, imò Penitentia preventit, quantum ad omnia.

Et à Vasquez confirmata.

Confirmat Vasq. supra n. 23. exemplo: quia peccata, quæ per confessionem ratione oblivionis fuerunt per accidens solum remissa, deinde quidem subicienda sunt clavibus, ut in illa directa sententia absolutionis proferatur; tamen virtute illius non remittuntur, & verba absolutionis denotant solum potestatem ea absolvendi, nisi essent jam remissa. Et quamvis verba absolutionis gratiam conferant, quam aliàs conferent, tamen ipsa effectum absolvendi non habent.

Quamvis igitur Baptismus recedente fìctione gradum aliquem gratiæ conferret, tamen ipsa non dimitteret ulla peccata, quæ jam saltem per accidens virtute Penitentiae removens obicem essent remissa, & ita non diceretur remittere peccata vel operari salutem, quæ in remissione posita est, cuius oppositum videtur indicare Augustinus.

Audivistis objectionem? Auscultate eandem benignitate solutionem. Scotus supra n. 6. Possit ergo aliter dici, quòd Penitentia vera perfectè reconciliat Deo, & per consequens nullum peccatum relinquit. Sed tamen non omne quod insuit, per se curat: sed tantum illud, quod est obiectum Penitentiae, de quo scilicet penitens penitet. Quandoque autem oportet omne peccatum, quod deletur, esse obiectum Penitentiae, utpote si omnia illa peccata sint commissio post Baptismum: quandoque autem non oportet, ut in proposito. Non ergo per virtutem (id est efficaciam) Penitentiae dimittuntur hic omnia peccata: sed in Penitentia dimittuntur partim per Penitentiam, partim per aliam causam: & sic non habetur ibi dimidia venia peccatorum, sed tota à Deo; non tamen tota per Penitentiam, quia non oportet de omnibus, quæ merant, peccatis, perfectè penitere: & secundum hoc esset dicendum, quòd illa sex deletur & quantum ad culpam, & quantum ad poenam: nec de eis oportet habere contritionem vel confessionem, nec satisfactionem, sed solum de illis, quod fuit causa fìctionis. Ita Ille, supponens cum communi sententia, Baptismum à Christo institutum esse in remissionem peccatorum ante ipsum commissorum, sive originalis, sive actualium: Sacramentum verò Penitentiae pro peccatis post Baptismum commissis, ut proprijs locis patebit.

Ut autem veritas magis elucescat, dico idem, sed alijs verbis, & simul respondeo ad instantias: Utrumque Sacramentum simul naturà concurrunt ad effectum gratiæ, & Baptismus quidem directè remittit peccata ipsius præcedentia, Penitentia verò subsequenter: hoc est, Deus infundens gratiam remissivam, vel (si mavis) remittentem peccata, movetur ab utroque Sacramento simul.

Probat primò: quia fìctio non tollitur per infusionem gratiæ, sive remissionem peccatorum; sed per ipsum Sacramentum, sub quo intelligo contritionem perfectam. Subsumo: atqui & Sacramentum & contritio naturà præcedunt infusionem gratiæ & remissionem peccatorum: ergo in posteriori instanti naturà, quo contritio vel

24.
Dissoluitur
ex Scoto.Responso
ad instantias.25.
Fictio non
tollitur per
infusionem
gratiæ, sed
per ipsum
Sacramen-
tum.

vel Sacramentum causat gratiam & remittit peccata, cum Baptismus sit praesens & inveniat subiectum legitime dispositum; quidni & ipse conferat suum effectum? Sicuti si poenitens eadem peccata duobus fuisset confessus, & absolutio utriusque Sacerdotis in eodem instanti finiretur, nulla adferretur ratio, quare non utrumque Sacramentum proprie & per se remittat illa peccata, cum non inveniat remissa.

Cum igitur Poenitentia in nostro casu inveniat subiectum dispositum per Baptismum fide susceptum, & Baptismus similiter per veram Poenitentiam; nulla apparet ratio attribuendi remissionem peccatorum potius gratiae poenitentiali (ut sic loquar) quam baptismali: ergo vel utrumque Sacramentum remittit peccata, vel neutrum. Omitto, quod eadem peccata saepius diversis temporibus possint remitti; de quo alibi.

Sanè, cum constat ex Trident. sess. 14. cap. 5. peccata, quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse, adeoque eadem absolutione remissa; ut quid exigitur directa (ut loquitur Valg.) sententia absolutionis, si verè & proprie illa peccata amplius non remittuntur?

Negare quidem non possum, neque volo, quamcumque gratiam moraliter repugnare & expellere quodcumque peccatum; equidem quia Sacramentum Poenitentiae (ut statim dixi) non est per se institutum nisi pro peccatis post Baptismum commissis, sed nec Baptismus nisi pro peccatis ipsius praecedentibus; hinc factum est, ut gratia poenitentialis solum remittat directe peccata post Baptismum commissis, gratia vero baptismalis peccata commissis ante Baptismum.

An verò secundariò & indirectè etiam alia? Affirmat Lugo de Saè amentis disp. 9. sect. 3. num. 39. negat Hiquæus in suo comment. ad dist. & quaest. supra ex Scoto citatam num. 32. nam causa (inquit) disparata non dicitur per accidens seu indirectè vel secundariò habere effectum per se alterius causae, nisi quando eam quoad hoc supplet, ipsa non agente; quod non contingit hîc, quia utrumque Sacramentum agit quod suum est respectivè ad effectum & materiam propriam; ideoque nihil relinquit causandum alteri directe vel indirectè respectivè ad idem. Patum refert quid dicatur, dummodò unicuique maneat salva causalitas directa simul tempore & naturâ, quam

Probo secundò: Quando duae causae ita concurrunt, ut à se mutuo dependeant respectu sui effectus, neutra prius causat, sed utraque simul. Exemplum sit in materia & forma Sacramenti, quarum una ante alteram nihil efficit, sed simul causant quando utraque est finita. Applico rei praesenti: Atqui Sacramentum Poenitentiae dependet à Baptismo ratione impedimenti peccati originalis, & aliorum, quae Baptismum praecesserunt; Baptismus pariter dependet à Poenitentia ratione fictionis: ergo causalitas simultanea. Contritio quidem efficax est sine Baptismo, sed non sine ordine ad illum vel suscipiendum, vel susceptum. Cum itaque supponatur praesentia Baptismi praeteriti in eodem instanti, quid prohibet simultaneam causalitatem?

Prorsus nihil: pono enim casum, quod in ultimo instanti Sacramenti, quando primò confertur Baptismus, suscipiens eliceat actum Contritionis; peto, Baptismus prius causabit gratiam & remittet peccata, an verò Contritio? Respondet omnis Theologus: qui autem hoc non potest respondere, nescio si Theologus sit. Quid respondet omnis Theologus? Utrumque simul causat gratiam, & remittit eadem peccata, unum ex opere operato, alterum verò ex opere operantis.

Dices: Contritio vel Attritio cum Sacramento debet resuscitare Baptismum velut mortuum in instanti A. causando suam gratiam: ergo non potest in eodem simul causare suam Baptismus; quia in instanti A. resuscitatus non potest operari nisi in instanti B. cum sicut prius natura debet causa esse antequam operetur, sic & resuscitari.

Respondeo: Baptismus resuscitatur non tamquam mortuus, sed tamquam impeditus & praeteritus existens in divina acceptatione; adeoque eodem instanti, quo impedimentum tollitur, operatur: nam illud ipsum erat carentia dispositionis, quae tollitur formaliter per ipsam dispositionem. Unde sicut visus impeditus aut carens speciebus, eo ipso, quò illas acquirit, operatur simul cum illis visionem, etiam eodem instanti natura; sic Sacramentum praeteritum, eo ipso, quò advenit dispositio, operatur simul cum ea effectum gratiae, & consequenter remissionis peccatorum.

Ecce doctrinam Valquesianam cardinalibus suis luxatam: esto alioquin sufficeret ad veritatem locutionis Augustiniana, quòd Baptismus reviviscens conferret

26.
Duarum
causarum
ita concurrerentium, ut à se mutuo dependeant respectu sui effectus, neutra prius causat.

27.
Objectis

28.
Solvitur

In casu proposito non apparet ratio attribuendi remissionem peccatorum potius gratiae poenitentiali, quam baptismali.

Quare gratia poenitentialis solum remittit directe peccata post Baptismum commissis, gratia vero baptismalis peccata commissis ante Baptismum.

Lugo.
Hiquæus.

augmentum gratiæ justificantis tale, quale confert homini per contritionem ante realem susceptionem Sacramenti justificato.

Vel fortè existimas, quòd justo huic non profit Baptismus ad salutem, ad vitam, imò ad remissionem peccatorum? Audi quid dicat Sanctus & Eximius Doctor

8. August.

Ecclesiæ, Tract. 13. in Joannem: *Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam suam iniquitatis portat. Similia habet alijs locis, quæ quomodò sint intelligenda, alibi dabitur commoditas investigandi & explicandi. Pro nunc paucis dico, omnem illam gratiam prodesse ad remissionem peccatorum, quæ ex primaria sua institutione nata est remittere peccata, ubi non invenit ea remissa.*

29. Explicatio quorundam verborum Scoti.

Atque hîc fuisset finis hujus conclusionis, nisi occurrissent verba Scoti supra n. 8. *Quia susceptio eius (Baptismi) mortua fuit, & mortuus reviviscere non potest.* Sed responsio est facilis: susceptio indigna, quæ opus hominis, mortua, imò & mortifera est; equidem quæ Sacramentum, actio Christi reputatur in se viva & sancta, atque ex ejus meritis habens vim sanctificandi, quam ablato impedimento statim exerit: exerit (inquam) non ad hunc vel illum tantùm, sed ad omnem prorsus effectum, quem à principio habuisset, nisi impedita fuisset; sic enim de Baptismate loquitur D. Aug. ut in initio conclusionis audivimus: *Quia illud & in homine iusto, & in homine iniusto semper sanctum est, quod neque aequitate alicuius augetur, neque alicuius iniquitate minuitur: minueretur autem, si cum obice susceptum non revivisceret ad omnem effectum.*

8. August.

Quare respondendo ad tertiam quæstionem supra positam, Dico:

CONCLUSIO II.

Baptismus reviviscit ad omnem effectum, quem habuisset, si à principio legitimè fuisset susceptus.

30. Ex reviviscencia Baptismi deducitur reviviscencia ad omnem effectum.

Quid miramur? quare non credimus? Deus est qui fecit. Quæris, unde sciam? Respondeo ex quo scio Baptismum reviviscere, ex eodem scio reviviscere ad omnem effectum: est siquidem regeneratio totalis, & ejus gratia est regenerativa transmutans hominem in alium, atque ad eò ex se delens omnia peccata vitæ anterioris,

omnemque pœnam pro his debitam. In re. Trident. *natus enim* (verba sunt Trident. in decreto de peccato originali §. 5.) *inbit edit Deus &c.*

Sicuti ergo Summus Pontifex concedit aliquando tempore Jubilæi, ut possint omnes absolvi à casibus reservatis, ut possint commutari vota &c. quam facultatem ita quidem censetur concedere, ut si eo tempore pœnitens oblitus fuerit alicujus peccati reservati vel voti commutandi, postea transacto tempore Jubilæi possit secundum communione sententiam in virtute Jubilæi præteriti absolvi ab illo peccato reservato vel votum ejusdem commutari, quia per Jubilæum acquisivit jus ad eas gratias consequendas: sic Christus Dominus similem indulgentiam videtur in Sacramento Baptismi concessisse, ut ejus virtute plenissima remissio fiat semel in vita omnium debitorum culpæ & pœnæ, quæ usque ad illud tempus sunt contractæ; ad quam remissionem acquirit jus, qui baptizatur; ita ut si tunc ratione alicujus impedimenti effectum non habeatur, possit postea, ablato impedimento, effectum consequi ratione juris, quod semel acquisivit.

Argumentum à simili.

Profectò, quòd aliqui DD. volunt, Baptismum reviviscere ad remissionem pœnarum temporalium, vel ad conferendum auxilia gratiæ, non autem ad gratiam sanctificantem vel remissionem peccatorum, nullo prorsus nititur fundamento. Similiter improbable est, reviviscere ad remissionem mortalium & non venialium, vel converso. Itaque ad omnem effectum reviviscet, vel ad nullum, cum omnium æqualis sit ratio & auctoritas.

Et ideo, juxta communem fidelium sensum, qui statim post Baptismum moritur, haud censetur indigere suffragiis propter peccata præterita expianda, tamen si fortè defectu debitæ retractationis in hac vita nequaquam fuissent remissa; jam enim per gratiam baptismalem acceperat jus ad remissionem totius pœnæ sublato obice peccati venialis, sive per retractationem post hanc vitam, sive (quod verius apparet) propter merita hujus vitæ, quæ tribuunt jus ad gloriam, cujus est impedimentum, de quo alibi. Et verò negabimus Baptismo reviviscenciam in hac vita, quam ei concedit communis sensus fidelium in altera vita? Non est rationabile, Neque credibile est, remittere pœnas peccatis debitas, & non ipsa peccata, in quorum eodem remissionem principaliter est institutus. Ex his

31. Baptismum reviviscere solum ad remissionem peccatorum temporalium, vel ad conferenda auxilia gratiæ, est insensibile est. Improbabile est, reviviscere ad solum remissionem mortalium.

Sequi-

32. Datur ma-
jor gratia
per Pœni-
tentiam &
Baptismum
reviviscen-
tem, quam
per solum
Baptismum,
vel solum
Pœniten-
tiam.

Sequitur primò, majorem dari gratiam per pœnitentiam (intelligo, per se justificativam) & Baptismum reviviscentem, quam per solum Baptismum, vel solum Pœnitentiam: cur enim priventur suo effectu per mutuum consortium? Certè contritio & Sacramentum Pœnitentiæ majorem conferunt gratiam, quam sola Contritio, vel solum Sacramentum.

Alioquin, quæ est illa utilitas Baptismi reviviscentis, quæ tantoperè inculcatur & commendatur à D. Aug. & alijs Patribus? Quomodò constat ablutionis donum & redit effectus munerum, si homo non recuperat, quod propter obicis impedimentum perdidit? Nonnè si à principio suscepisset Baptismum contritus, plus gratiæ recepisset, quam si solum attritus? An credis, quia eandem duplici titulo? toto cælo aberras: non enim diversis meritis correspondet idem præmium, sed diversa. Sic duobus Sacramentis simul susceptis non causatur eadem gratia, sed duplex: ergo similiter in præsentia, Baptismo & Contritioni non correspondet unica gratia, sed duplex, seu diversi gradus ejusdem gratiæ, vel (si mavis) perfectior gratia, quam esset illa, quæ præcisè virtute alterutrius infunderetur.

Atque hoc fortè voluit Scôtus supra n. 7. inquit: *Aliter potest dici, quòd quando verè aliquem pœnitet de fitione illà, gratia infunditur sibi perfectior, quam esset illa, quæ præcisè virtute (id est efficaciac) Pœnitentiæ infunderetur: sive jam à sola Pœnitentiâ infundatur, quòd Scôtus ibi intendit; sive etiam à Baptismo, ut habet communior sententia.*

33. Non lequ-
itur inde ha-
beret fructum
de fitione.

Sed contra hoc arguitur (ex Doctore supra) quia tunc ille haberet commodum de sua fitione maius, quam si tunc non fuisset factus; & post in peccatum cecidisset, simile illi fitioni: nam si cecidisset, & modo pœniteret, non haberet modo gratiam, nisi tantam virtute Pœnitentiæ. Tu autem dicis, illum, qui tunc fuit factus in Baptismo, habere in pœnitendo quasi duplicem gratiam.

Ut ostendit
Scôtus pri-
mo.

Respondet duplici modo n. 8. Hic potest (inquit) dici modo quòd non habet commodum, sed magis detrimentum: quia tempore Baptismi, & sequenti usque ad Pœnitentiam, est filius ge- heime, & omnia opera sua mortua sunt: si autem non fuisset factus, fuisset tunc & post usque ad lapsum, filius regni, & opera eius viva, quibus meruisset augmentum & gratia & gloria.

Offendit se-
cundo.

Aliter dici potest, quòd si non fuisset factus & postea lapsus, & postea pœniteret, in pœnitendo reciperet tantam gratiam, quantum nunc recipit pœnitens de fitione; quia resurgens per Pœnitentiam à peccato mortali, recuperat totam gratiam, à qua cecidit & aliquam ultra per Pœni-

tentiam: non autem eandem duplici titulo ut alio loco videbimus.

Addo tertiam responsionem, & dico sæpe contingere, ut quis recipiat commodum ex opere bono extrinsecè vitato, v.g. ex Eucharistia, aut alio Sacramento suscepto ex vana gloria. Quid ergo mirum si ex Baptismo fite suscepto, recedente per Pœnitentiam fitione, percipiatur major effectus gratiæ? Baptismus quippe intrinsecè sanctus fuit; Pœnitentia quoque suam habet sanctitatem: non igitur ex fitione reportat commodum, sed eandem accipit gratiam ex Sacramento, quam habuisset, si tempore, quo Baptismum suscepit, illam Contritionem elucisset.

Sequitur secundò, Baptismum non reviviscere ad remissionem, saltem directam, peccatorum mortalium aut venialium postea commissorum; quin immò neque ipsius peccati fitionis, id est, sacrilegæ susceptionis, aut cujuscumque alterius, quod præcisè absolveretur in ipso momento temporis, quo absolvitur Sacramentum. Ratio breviter est: quia pro his omnibus institutum est Sacramentum Pœnitentiæ; teste siquidem Trident. sess. 14. cap. 5. *Domini nostri Iesus Christus, è terris adscensus ad celos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit tanquam præses & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint.* Plura in Tract. de Pœnitentia.

Impræsentiarum sufficiat illam esse sententiam Doctoris Subtilis supra n. 7. ibi: *Ad secundum potest dici, quòd omnia peccata mortalia, etsi insunt post Baptismum, tamen nullum eorum sunt causa, quin iam essent deleta: illud autem septimum fuit causa, quare nec ipsum, nec alia sunt deleta; & ideo rationabile est, quòd respectu eius non habeat Baptismus efficaciam, sed respectu aliorum; quia ipsum formaliter impedit effectum Baptismi, alia non. Et tunc illa propositio: peccatum mortale post Baptismum non deletur, nisi per Pœnitentiam; debet intelligi de peccato commissio post Baptismum vel omnino inherente, sic scilicet, quòd de ipso nec fuerit Contritio, nec Attritio in Baptismo, nec post Baptismum.*

Quæ postrema verba dederunt occasionem aliquibus (qui, ubicumque possunt, ambabus manibus eam attripiunt) insimulandi Doctorem, quasi doceat efficaciam Baptismi haud se extendere ad omnia peccata ante Baptismum commissa. Nam ex eo præcisè, quòd peccatum aliàs factum insit, de quo non est Contritio neque Attritio, non videtur spectare ad positivam fitionem, quæ consistit in actuali peccato,

R 3 quod

Offenditur
tercio.

34. Baptismus
non revivif-
cit ad rem-
issionem,
saltem direc-
tam pecca-
torum mor-
talium aut
venialium
postea com-
missorum;
neque ipsius
fitionis:
Ratio est
institutio
Sacramenti
Pœnitenti-
æ.
Trient.

Est sententia
Scôtij

Qui male
insimula-
tur, quasi
doceat effi-
caciâ Bap-
tismi non se
extendere
ad omnia
peccata an-
te Baptismum
commissa.

quod committitur irreverenter suscipiendo Sacramentum sine debita dispositione ad effectum. Sed declarata mente Scoti veritas se ipsam manifestabit.

35. *Hiquæus.* Norat ergo Hiquæus in suo commentario ad illum locum n. 20. Doctorem non intelligere peccatum inhærens inhærentiâ habituali, eo modo, quo infuit ante Baptismum, sed inhærentiâ actuali per complicitiam, in quantum dedit causam fictioni.

Colligitur primò ex illis verbis num. 4. *Scotus.* Septimum autem actu placet, vel de eo nullo modo atteritur; illud septimum solum est causa fictionis eius in Baptismo.

Secundò ex Reportatis 4. dist. 4. q. 7. n. 3. Dico, quòd fictus potest habere multa peccata, & non propter quodlibet est fictus; quia de multis potest habere displicitiam continuando tantum unum: sic si est fictus de uno tantum peccato, & habuit displicitiam de omnibus alijs, oportet illum habere penitentiam de illo uno peccato, sicut de commissio post Baptismum, & alia deleatur per Baptismum.

Explicans autem peccatum fictionis n. 2. ait: Vel prætendit se dispositum ad receptionem Sacramenti, & tamen non est & hoc potest esse tripliciter, vel per infidelitatem, vel quia tunc facit actu peccatum mortale, vel prius fecit & remanet in illa voluntate (supple, actuali) sine displicitiam intermedia.

36. Igitur quod n. 4. citato dicit: Vel de eo nullo modo atteritur, non debet intelligi de simplici carentia vel absentia attritionis, v. g. ex oblivione vel inadvertentia; sed de voluntaria, procedente ex perfecta scientia, quæ sit virtualis & interpretativa complicitiam, sive consensus in peccatum præteritum.

Hæc pro mente Scoti, quæ forsitan non omnibus, uti nec mihi, plenam adferent satisfactionem. Unde mallet dicere, Doctorem ibi nihil resolvère, sed dumtaxat disputare; Lectori liberum permittendo iudicium de veritate aut falsitate eorum, quæ proponuntur.

Sequitur tertio, & erit

CONCLUSIO III.

Baptismus reviviscit ad majorem vel minorem gratiam secundum præsentem dispositionem subiecti.

37. Probatio ex Tridentino.

Trident. sess. 6. cap. 7. *Vnica formalis causa justificationis impij est iustitia*

Dei, non quæ ipse iustus est, sed quæ nos iustos facit; quæ videlicet ab eo donati, renovamus spiritu mentis nostræ, & non modo reputamus, sed verè iusti nominamur & sumus, iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem & cooperationem. Ubi autem jus non distinguit, nec nos sine causa debemus distinguere. Unde si Catechumenus v. g. per dies aliquot ante Baptismum jejundet, & se in alijs operibus misericordiæ ac penitentia exercet, per oblivionem tamen non doleat sufficienter de peccatis, adeoque accedat ad Baptismum absque dispositione necessaria ad gratiam; statim verò recorderetur, doleat atque auferat obicem, quis audeat negare talem accessisse melius dispositum ad Baptismum, ac alium, qui nullo bono opere se præparaverat? Quidni ergo postea Baptismo reviviscit, ratione illius dispositionis antecedentis, quæ virtualiter ac moraliter adhuc permanet, majorem recipiat gratiam?

Dices Primò: Saltem contritio sublequens non disponit ad Sacramentum præteritum: adeoque non plus gratia accipiet præcisè vi Sacramenti, qui tollit obicem per contritionem, quam qui solum per attritionem.

38. *Objecta.* Respondeo: sufficit, quòd disponat ad effectum Sacramenti; non enim requiritur dolor ut dispositio ad valorem Baptismi (ut omnes fatentur) sed ut conditio requisita ex parte suscipientis ad effectum gratia sacramentalis, quam Spiritus sanctus in casu conclusionis non partitur in prima susceptione Sacramenti, sed in reviviscencia; cur ergo negabimus contritionem, quæ quasi est causa reviviscencia, veram esse dispositionem ad effectum gratia, quem in eius præsentia Spiritus sanctus per Sacramentum præteritum; veluti morale instrumentum, operatur?

39. *Responsum.* Cæteròquin (ut bene notat Vasq. supra disp. 199. c. 5. n. 58. ubi tenet nostram conclusionem) qui meliori dispositione tollit impedimentum Baptismi, qui virtute manet, etiam melius ad ipsum accedit, non quidem accipiendum, sed jam acceptum; quemadmodum qui remotus ab igne erat propter impedimentum distantia vel corpus interjectum, si tollat corpus interjectum vel distantiam per localem approximationem, dicitur accedere ad ignem præexistentem.

Et certè Trident. supra non loquitur de dispositione ad Sacramentum, sed generaliter de dispositione ad gratiam sanctificantem. Sed

39. Sed infas cum Suario (qui tom. 4. disp. 28. sect. 4. post medium tenet oppositum) merita priora per peccatum mortificata redeunt per contritionem sequentem, non tamen juxta mensuram ejusdem contritionis, sed semper eadem & æqualia; quia scilicet per contritionem aufertur solum obex peccati, quo impediabantur, in qua ablatione obicis omnes contritiones sunt æquales.

Responsio ad instantiam Suarii. Respondeo disparitatem esse, quod merita sint causa adæquata præmij; gratia verò Sacramentalis (ut ex dictis liquet) etiam correspondet dispositioni, non tanquam causa partiali, quasi sit pars Sacramenti (supponitur quippe totum Sacramentum præextitisse) sed tanquam conditioni sine qua non Sacramentum tantam vel tantam mensuram causaret.

Responsio secunda. Vel si hoc minus placeat, scio quia displicere non poterit quod sequitur: Reviviscencia meritorum nihil est aliud, quam restitutio sive iterata collatio tum gratiæ per peccatum deperditæ, tum actionis ad gloriam secundum jus antiquum, sublato impedimento peccati; ut enim ait Doctor Subtilis 4. dist. 22. q. unicâ n. 7. *Habenti bona merita in acceptatione divinâ, mortificata tamen per peccatum mortale, remanet totum ius, quod correspondet illis meritis ad vitam æternam, sed non remanet actio, quamdiu ille est inimicus; & si perpetuo sit inimicus, perpetuo cessat illa actio: cessante autem inimicitia contracta non redit novum ius, sed competit actio secundum ius antiquum; licet & novum conferatur, quod Doctor non negat, secundum proportionem gratiæ, quam primò paritur in reiterata justificatione juxta dispositionem præsentem subiecti.*

At verò reviviscencia, v. g. Baptismi, non est collatio gratiæ semel infusæ per Baptismum, & postmodum deperditæ; sed est prima collatio gratiæ, quæ impedita fuit per carentiam debitæ dispositionis: igitur secundum dispositionem, quam de præsentem in subiecto invenit; ita ut contritio vel attritio hîc non sit nuda remotio obicis, quemadmodum in reviviscencia meritorum, sed positiva dispositio ad gratiam, veluti si adfuisset in ipso Baptismo.

40. Deus quidem ab initio acceptavit Baptismum ad determinatum effectum remissionis peccatorum, quia hæc in omni Baptismo est æqualis; secus autem ad determinatum effectum gratiæ, nisi ex prævisione futuræ dispositionis, quæ ex institutione & lege Dei exigitur tanquam meritum congruum ad omnem justificationem adulti peccatoris, & juxta quam Spiritus Sanctus

singulis paritur mensuram gratiæ.

Ex quo obiter colligo, quare gratia Baptismalis semel habita propter meliorem dispositionem supervenientem non fiat major; quia videlicet Baptismus juxta suam institutionem & legem Dei determinatus fuit ad certum gradum gratiæ independentem ab illa meliori dispositione.

Arguis iterum: Ergo conditio illius, qui fide baptizatur, est melior. Respondeo, sicut illius qui usquè in finem vitæ differt Baptismum, ut simul & semel habeat remissionem omnis pœnæ & culpæ tam originalis, quam actualis, quod per accidens est.

41. Conditio illius, qui fide baptizatur, non est melior. Aliam responsionem habes supra ex Scoto, qui alio in loco, nimirum 4. dist. 22. q. 1. n. 10. ad similem objectionem similiter respondet, resurgentem scilicet à peccato mortali, quamquam dignior præmio in Dei acceptatione, non reportare commodum de lapsu suo, *Sed magnum (inquit) incommodam; non solum quia peccavit, sed quia totum tempus, quo mansit in peccato, est sibi perditum, quo tempore merita potuisset multiplicasse, si tunc in gratia mansisset.* Idem dici potest in præsentem, ut omittam, quod meliorem dispositionem, quam adfert in reviviscencia, habere potuisset in prima susceptione Baptismi.

Inquiritur hîc ab aliquibus, an ex consortio Sacramenti Pœnitentiæ minuatur gratia Baptismi reviviscens si unica solummodo adsit attritio vel contritio?

42. An ex consortio Sacramenti Pœnitentiæ minuatur gratia Baptismi reviviscens, si unica solum adsit contritio? Respondet Vasq. disp. 160. num. 23. de hoc nihil posse asseri, sed reservandum Dei judicio, cujus regulam & institutionem ignoramus. Suarez in præsentem disp. 28. sect. 5. post quartam conclusionem (quem sequitur Lugo hîc disp. 9. n. 87.) dicit singula Sacramenta datura tantum gratiæ, quantum si singula seorsim essent cum illa dispositione.

Probat Lugo: quia si aliquis recipiat de facto duo Sacramenta simul, v. g. Eucharistiam & Extremam Unctionem, non est credibile, quod singula dabunt minorem effectum gratiæ propter consortium alterius, quam si unum solum Sacramentum ex illis susciperetur. Responderet Vasq. hoc æquè incertum & ignotum esse, ac illud, ad quod probandum adducitur.

43. Rectè advertit Dicastillo tract. 2. disp. 2. n. 262. perinde esse, sive illa dispositio consideretur ut meritum congruum, sive ut condignum; nam etiam meritum de congruo minus est respectu plurium, v. g. unum Ave Maria non ita prodest pluribus, sicuti uni; & duæ attritiones æquales plus valent

Quare gratia baptismalis semel habita propter meliorem dispositionem supervenientem non fiat major.

41. Conditio illius, qui fide baptizatur, non est melior.

Scotus.

42. An ex consortio Sacramenti Pœnitentiæ minuatur gratia Baptismi reviviscens, si unica solum adsit contritio? Diverse Authorum sententiæ. Suarez, Lugo, Vasquez.

43. Perinde est sive dispositio consideretur ut meritum congruum, sive ut condignum. Dicastillo.

39. Instancia Suarii.

Responsio ad instantiam Suarii.

Responsio secunda.

Doctor.

40.

valent, quàm unica. Quamvis ergo non requiratur illa æqualitas inter meritum de congruo & ejus effectum, quæ requiritur inter meritum condignum & ejus præmium; tamen congruitas potest esse major & minor respectu unius vel plurium gratiarum; sicut est major inæqualitas inter lineam unius palmi cum alijs duabus sex palmorum, quàm cum una solùm.

44. Attritio dicitur à Diastillone concurrere ad effectum Sacramenti per modum dispositionis, non meriti.

Hinc n. 263. docet non adeo malè, attritionem concurrere ad effectum Sacramenti, non per modum meriti, sed per modum dispositionis, quæ, ut talis, non est causa efficiens, sed pertinet tum ad genus causæ materialis, quatenus subjectum cum illa est dispositum; tum ad genus causæ formalis, quatenus tanquàm forma informans subjectum illud reddit capax ad illam ulteriorem formam: hæc autem forma potest esse sive multiplex, sive intensior cum una & eadem dispositione, dummodò multiplicetur, vel alio modo augeatur virtus ex parte causarum efficientium: sic quippe una & eadem diaphaneitas aëris aut vitri non minùs bene disponit ad recipiendum duplex lumen vel magis intensum à duobus agentibus, quàm unicum, aut minùs intensum ab uno agente.

Porro non requiri attritionem ad effectum gratiæ Sacramentalis quatenus meritoria est, sed quatenus est retractatio peccatorum sive aversio à peccatis, probat idem Auctor; quia ratio meriti congrui potest reperiri in alijs operibus, in eleëmolyña v. g. aut operibus orationis, jejunijs, fidei, spei &c. & tamen ea opera quantumvis meritoria, non sufficerent ad recipiendum effectum gratiæ Sacramenti; & longè minoris meriti attritio sufficeret.

45. Attritio dici potest nõ disponere præcisè quatenus est retractatio peccatorum.

Equidem responderi posset, attritionem non disponere quatenus præcisè est retractatio peccatorum sive aversio à peccatis (siquidem etiam per attritionem naturalem peccator avertitur à peccato & retractat peccatum, quæ tamen non disponit) sed quatenus est talis aversio, scilicet supernaturalis & meritoria de congruo; cui merito, & non alteri cuilibet, Deus ex liberalitate sua voluit correspondere tale determinatum præmium unum vel plura, majus vel minus, pro varietate & multitudine Sacramentorum, ad quæ suscipienda disponit: disponit (inquam) non per modum applicationis ad subjectum, verum instar conditionis necessariæ ad productionem & receptionem effectus. Patet in physicis: sic enim diaphaneitas aëris vel vitri non servit ad Solis applicationem, sed ad luminis productionem & receptionem.

Ex quo consecrarium est, Baptismum reviviscentem producere effectum juxta dispositionem, quam tunc invenit, & non secundum eam, quæ erat tempore, quo applicabatur.

Sequitur quæstio 4. qualis dispositio requiratur, ut Sacramentum Baptismi reviviscent, an sola attritio sufficiat, an verò interdum necessaria sit contritio, aut Sacramentum Penitentia? Pro resolutione

Nota duplicem à Doctoribus assignari obicem Sacramenti; unum positivum (ut vocant) qui est peccatum mortale, quod committitur in ipsa susceptione Baptismi, vel certè post Baptismum acceptum: alterum verò negativum, qui est sola non dispositio, sive carentia dispositionis ad effectum Baptismi requisitæ sine novo peccato mortali. Hoc prænotato Dico:

Obex sacramentum alius est positivus alius negativus

CONCLUSIO IV.

Si obex fuerit negativus, sufficit attritio; sin verò positivus, opus est contritione vel confessione.

PRima pars est communis contra Vasq. disp. 160. cap. 2. in principio. Ratio: quia Baptismus (ut probavimus conclus. 2.) reviviscit ad omnem effectum, quem habuisset, si à principio legitime fuisset susceptus; ergo ad primam gratiam justificantem; ergo cum sola attritione: aliàs enim nunquàm se solo primam gratiam conferret, cum tamen primò collatus aliquando eam efficiat.

46. Quæsi, si obex fuerit negativus, sufficit attritio.

Reponit Vasq. n. 22. Neque Augustinus, neque ullus antiquus Scholasticus id docuit neque asseruit, eodem modo operari Baptismum præteritum cum attritione, sicut præsentem; sed solùm incipere prodesse & valere ad remissionem peccatorum recedente fictione peccati, cum qua receptus fuit, per veram contritionem aut confessionem. Et verò cum hæc res auctoritate magis quàm ratione nitatur, non est (inquit) in ea quidquam pro arbitratu asserendum, quod ab antiquis Patribus & Doctoribus assertum non est.

Sed contra: Augustinus & antiqui Scholastici (ut ipse fatetur n. 11.) loquuntur de fictione, quæ fuit peccatum indignæ receptionis Sacramenti; non verò de ea, quæ fuit solùm ex defectu doloris necessarij, sine culpa tamen ob ignorantiam: nam (inquit

(inquit num. 22.) supponere videntur ut quid impossibile moraliter, Catechumenum baptizari, nisi aut cum sufficienti dolore, aut certe non sine culpa, cum nullus sit adultus, qui prius non instruat de necessariis ad Baptismum. Cur igitur de casu illo ita raro, eo modo philosophabimur?

Respondeo: quia S. August. agnoscit æqualem virtutem in Baptismo indignè suscepto, & dignè, lib. 6. contra Donatistas c. 5. *Quia illud (Baptisma) & in homine iusto, & in homine iniusto semper sanctum est, quod neque aequitate alicuius augetur, nec alicuius iniquitate minuitur.* Et alioquin is, qui post Baptismum cum obice negativo susceptum non peccasset, nequaquam justificari posset, nisi per contritionem, sicut in Lege veteri; immò peioris esset conditionis, quam is, qui post Baptismum plura peccata commisisset, hic enim per attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ (cujus alter est incapax) posset justificari.

Porro non meminit S. Doctor præsentis casus, non quia moraliter impossibilis (nam contingere potest quempiam bonâ fide existimare se attritum supernaturaliter, cum solum habeat attritionem naturalem) sed quia rarior est in ijs, qui in vera Ecclesia baptizantur; & agebat Aug. de illis, qui voluntariè suscipiebant Baptismum in hæresi vel schismate, de quibus non erat dubium, quin peccarent mortaliter, seclusâ ignorantia, quæ minime præsumebatur.

Pro sententia Vasq. citat Dicastillo tract. 2. disp. 2. num. 191. Scotum 4. dist. 4. q. 5. propositione 3. sed falsò; nam (ut supra ostendi) Doctor illâ questione nihil asserit, sed disputativè solum proponit plures sententias. Deinde loquitur potissimum cum D. Aug. de fictione sive obice positivo.

Denique contrarium videtur indicare num. 7. ibi: *Et tunc illa propositio: peccatum mortale post Baptismum non deletur, nisi per pœnitentiam; debet intelligi de peccato commisso post Baptismum, vel omnimò inbærente; sic scilicet quod de ipso nec fuerit contritio nec attritio in Baptismo, nec post Baptismum.* Igitur si post Baptismum fuerit attritio de peccato ante Baptismum commisso, delebitur per Sacramentum Baptismi ex mente Scoti, quæ est prima pars conclusionis.

Venio ad secundam: & quidem sufficientiam Contritionis vel Confessionis omnes unanimiter concedunt; quid enim aliud requiri posset? At verò necessitatem negat Paludanus 4. dist. 4. q. 5. n. 24. ubi probabile existimat, sufficere attritionem: quod etiam docet Sylvester V. Baptismus 4. circa finem; Suarius disput. 28.

sect. 5. post 2. conclus. & alij, quos sequitur Dicastillo supra n. 199.

Probatur ergo Primò auctoritate Divi Augustini in quo lego veracem Confessionem, Correctionem, Reconciliationem, Catholicam pacem, vinculum Charitatis, nullam Pœnitentiam ut comprehendit Contritionem & Attritionem. Aug. secuti sunt Scotus, D. Thom. & alij veteres Scholastici. Cumque hæc res (ut statim diximus ex Vasq.) auctoritate magis, quam ratione nitatur, iudicio nullatenus recedendum à communi doctrina propter particularem opinionem aliquorum Recentiorum nullâ auctoritate SS. Patrum fundatam.

Probatur Secundò ex ratione: peccatum in susceptione Baptismi, vel post Baptismum commissum, est subiectum clavibus Ecclesiæ; ergo per se & directè remitti debet per Sacramentum Pœnitentiæ, vel certè per Contritionem, quæ includit votum Sacramenti.

Consentiunt Adversarij. Quid ergo? Baptismus (inquiunt) reviviscens delere illud potest per accidens & indirectè.

Fundantur Primò: quia Sacramentum Pœnitentiæ cum sola attritione remittit peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt.

Secundò: Eucharistia secundum probabilem sententiam, quam superiùs amplexi sumus, per accidens, vel meliùs, secundariò confert primam gratiam, quando quis accedit inculpabiliter cum sola attritione.

Tertiò: Sacramentum Pœnitentiæ indirectè delet peccata commissa ante Baptismum: ergo similiter Sacramentum Baptismi, utique principaliter institutum ad conferendam primam gratiam, licet directè & per se non remittat nisi peccata ipsi præcedentia; per accidens equidem & indirectè poterit delere consequentia & concomitantia, salvâ semper obligatione eâ subijciendi clavibus Ecclesiæ, habitâ oportunitate & accedente præcepto confessionis.

Incipio à fine; & gratis admissò antecedente, nego consequentiam. Disparitatem do, quòd quando Pœnitentia indirectè delet peccata commissa ante Baptismum; adfit aliud Sacramentum, videlicet ipse Baptismus; per quem directè eadem remittuntur: porro in reviviscentia Baptismi per solam attritionem, nullum habemus Sacramentum, per quod illa peccata post Baptismum commissa per se expellantur. Quemadmodum ergo sola Pœnitentia nequit indirectè remittere peccata antecedentia Baptismo; sic neque solus Baptismus peccata subsequentia.

Ad secundum respondeo Primò: saltem

S

Dicastillo

Sed probatur conclusio ex D. Augustino.

Quem scilicet sequuntur Scotus, D. Thom. & alij.

Probatur secundò ex ratione.

§ 0.

Non satis fit ab Adversariis per indirectam & accidentalem deletionem.

§ 1.

Responsio ad istorum fundamenta.

§ 2.

EX

47. Augustinus agnoscit æqualem virtutem in Baptismo indignè suscepto, & dignè.

48. Pro sententia opposita male citatur Scotus.

49. Necessitate contritionis vel confessionis in obice positivo varij Paludanus, Sylvester, Suarius.

ex praecepto, ut Sacramenta vivorum conferant suum effectum, requiritur contritio.

Secundò: passim à Doctõribus admittitur, Extremam Unctionem secundariò caulare primam gratiam, juxta illud Jacobi 5. v. 15. *Et si in peccatis sit, remittentur ei*: ergo peccatum habituale non est obex comparatione Eucharistiæ, in quantum præcisè est Sacramentum vivorum.

53. Esto (replicat aliquis Adversariorum) ergo minùs erit obex respectu Baptismi. Concedo totum, si tamen est tale peccatum, pro quo auferendo Sacramentum est institutum. Ostendar itaque quicumque ille est, Baptismum esse institutum vel saltem secundariò in remissionem peccati concomitantis vel subsequenter ipsam, & jungo dexteram.

Non ostenditur baptismum esse institutum, ne quidem secundariò, in remissionem peccati subsequenter vel concomitantis.

Hinc quia Extrema Unctio, cæteraque Sacramenta vivorum non sunt ordinata nisi ad salutem sive primam, sive secundam, hominum baptizatorum, invalidè suscipiuntur à non baptizatis; & quamvis validè susciperentur, si Deo ita placuisset, non dubito tamen quin inutiliter (ut patet in homine non baptizato recipiente validè Sacramentum Eucharistiæ) propter obicem peccati antecedentis Baptismum, pro quo remittendo solus institutus est Baptismus; qui etiam propterèd invalidè confertur homini baptizato, quia solùm ordinatus pro salute hominum non baptizatorum.

Igitur licet gratia ejus quandoque per accidens conferatur homini jam baptizato, non tamen remittet nisi peccata antecedentia, quæ cum non possint deleri, nisi simul remittantur concomitantia & subsequenter, opus est tali casu ad reviviscen-
tiam Baptismi contritione vel confessione.

54. Sacramentum Pœnitentiæ est institutum ad remittenda peccata in confessione inclusa; Trident.

Supereft primum fundamentum, quod facile destruitur ex dictis. Etenim Sacramentum Pœnitentiæ institutum est à Deo ad remittenda omnia peccata tam in confessione recensita, quam quæ confessione inclusa esse intelliguntur. Tridentinum sess. 14. cap. 5. ibi: *Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ universa Ecclesia semper intellexit, institutum etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem.* Et infra explicans illam integritatem, sic inquit: *Constat enim nihil aliud in Ecclesia à penitentibus exigere, quam ut, postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientia sua sinu omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum, eadem confessione*

inclusa esse intelliguntur. Igitur ex institutione divina etiam absolvuntur; quidni per se & directè? Quæ & absolventur directè:

Si inferas: Ergo non manet obligatio illa peccata confitendi, quando memoriæ occurrerint. Invenirentur fortasse, qui totum concederent: ego autem ne in tantæ consequentiæ recedam à communi praxi totius Ecclesiæ,

55. Respondeo negando consequentiam. Quis enim ignorat peccata per se & directè remitti per contritionem, cum obligatione tamen confitendi? Potuit ergo, & de factò voluit Christus (ut probat communis Ecclesiæ sensus & traditio) quòd omnia peccata, quæ memoriæ occurrunt sive directè, sive indirectè remissa per contritionem, confessionem, aut aliud Sacramentum, semel in confessione explicantur. Jam autem ubi institutio Baptismi pro peccatis post Baptismum commissis? Quare diligenter, & cum inveneris, ne recedas ab ea.

Manet tamen obligatio illa confitendi.

De cætero, ratio congruentiæ unius institutionis, & non alterius, esse potest, quia aliàs vix unquam in magnis peccatoribus fieret remissio peccatorum per Sacramentum Pœnitentiæ sine perfecta contritione; cum ordinariè aliquorum obli-
56. Ratio congruentiæ diversæ institutionis.
vificentur, & nequeat unum peccatum remitti sine alio; adeoque Sacramentum neutiquam serviret ad sublevandum difficultatem perfectæ contritionis, & jure merito confessio impossibilis diceretur, & carnificina conscientiarum appellaretur.

Quando ergo causa aliqua non potest habere effectum suum primarium, nisi antecedenter, concomitanter vel consequenter aliud quidpiam operetur, censetur secundariò accepisse vim illud operandi. Hæc autem non procedunt in Sacramento Baptismi; quippe hic institutus est principaliter in remissionem peccati originalis, & consequenter peccatorum actualium ante Baptismum commissorum, cum impium sit secundum Aug. à Deo dimidiam sperare veniam; quem effectum habere potest, imò regulariter habet, licet non causet remissionem mortalium post Baptismum perpetratorum, quandoquidem casus fictionis voluntariæ rarissimus sit, & hæc peccata possint tolli vel per contritionem; quæ generaliter ordinata est in remedium omnium peccatorum; vel sanè per Sacramentum Pœnitentiæ, specialiter pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis à Christo Domino nostro institutum. Trident. sess. 14. can. 1.

Ex quo confirmatur, quod antea dixi, etiam peccata confessione inclusa, per se, quam.

quamvis secundario, spectare ad Sacramentum confessionis; sed peccata post Baptismum commissa ad Sacramentum Baptismi, cum neque ex Scriptura, neque ex Concilijs aut SS. Patribus id ulatenus colligatur. Gratis igitur remissio istorum peccatorum tribuitur Baptismo reviviscenti, quae nullo profus casu adscribi potest Baptismo primo collato.

Adde nullum Sacramentum habere vim ad remittenda peccata futura; sunt quippe Sacramenta ex sua institutione sanctificationes & mundationes praesentes, utique medicinae vulnerum praecedentium curativae, & contra sequentia praeservativae; atque adeo remissionis debitorum praesentium, neutiquam futurorum.

Profecto etiam ex parte Dei non remittuntur peccata, antequam committantur; nec pro ipsis applicatur a Christo solutio. An forte putas, quod homo, qui hodie baptizatur, acquirat jus ut peccata eius crastina die perpetranda per illius Baptismi gratiam deleantur? Absit: neque enim qui lucratur indulgentias hodierna die, obtinet remissionem poenae pro peccatis futuris, etsi fractus indulgentiae iam impediatur; sed solum pro ijs, quae jam commisit, & pro quibus applicatur nunc pretium ex thesauro Ecclesiae; nam solvere nunc pro futuris, esset quasi dare impunitatem & licentiam peccandi in futurum.

Præterea: si quis post confessionem validam & informem (esto talis detur & reviviscat) committeret nova peccata; existimas quod per solam attritionem generalem revivisceret ista confessio, & simul indirecte remitteret peccata post commissam ante eorundem confessionem, aut de illis contritionem? Id existimare est conjecturare; non oportet autem ob meram conjecturam, contra sensum communem, adscribere, Sacramentis novos effectus.

Et quamvis illum effectum concederemus Poenitentiae, utpote quae aliquo casu directe illa peccata remittit, scilicet quando debite subiunguntur clavibus Ecclesiae; adhuc tamen merito negaretur Baptismo, utpote cujus directa vis nunquam se circa huiusmodi peccata exerit. Quare si credimus D. Aug. & sequimur ducem rationis, dicendum plane arbitror, peccatum subsequens esse obicem seu impedimentum, quod minus Sacramentum Baptismi habeat directum effectum circa peccata praecedentia.

Haecenus de reviviscencia Baptismi: sed numquid eadem est ratio & doctrina de alijs Sacramentis? Certum in primis est apud omnes, Poenitentiam non reviviscere

ex hypothesi, quod hoc Sacramentum nunquam detur validum & informe. An autem valor informis, quem aliqui asserunt, convincat ejus reviviscenciam, constabit ex dicendis.

A plerisque etiam excipitur Eucharistia, tum quia saepe iterabilis est ex sua institutione, etiam eodem die, nisi obstreret prohibitio Ecclesiae; tum quia sequeretur eum, qui toto tempore vitae sacrilege communicasset, semel in fine debite communicando, vel alias legitime se disponendo, repente fieri sanctissimum ex opere operato, quod ex se incredibile apparet, & obviat communi sensui fidelium; qui frustrari se existimant gratia, si sumant in malo statu.

Ad hoc tamen posset responderi cum nostro Poncio Sum. Theol. disp. 41. n. 92. solum reviviscere ultimam communionem, id est, Eucharistiam sacrilege susceptam non conferre gratiam, nisi auferatur obex antequam iterum sit sumenda. Sicut si Matrimonium vel Extrema Unctio revivisceret; equidem manens in malo statu quousque mortua conjuge duxerit secundam, aut ob novum periculum mortis rursus inungatur, non reciperet gratiam prioris Sacramenti, sed solum secundi Matrimonij, aut secundae Extremae Unctionis.

Verumtamen & hoc simile cui relevatum est? Profecto vel omnes confessiones validae & informes reviviscunt, vel nulla: ergo similiter dicendum de Eucharistia; nam sanctitas Sacramenti, quam aliqui ex Aug. allegant pro ratione, in omnibus habet locum, quocumque tempore obex tollatur.

Quod attinet reliqua Sacramenta, vel sunt omnino interabilia, ut Confirmatio & Ordo, vel saltem pro aliquo tempore, ut Extrema Unctio durante eodem periculo mortis, & Matrimonium quamdiu uterque conjux vivit; & ideo aliquibus videtur magis necessaria eorum reviviscencia, ne qui semel indignè aut sine sufficiente dispositione (subinde etiam inculpabiliter) ea suscepisset, in perpetuum vel pro certo tempore careat gratia valde utili; immo quodammodo necessaria ad finem proptium uniuscujusque obtinendum.

Et si objicias: Sacramenta non causant, nisi quod significant; sed Sacramenta non significant illum effectum ut futurum, sed ut praesentem; ergo non causant illum postea, ablato obice:

Respondet Lugo disp. 9. n. 109. sicut Baptismus, quia est institutus per modum regenerationis, colligitur ab August. habere illam vim causandi ablato obice, atque

Poenitentia non reviviscit, posito quod non detur valida & informis.

A plerisque etiam negatur reviviscencia Eucharistiae.

60. Fundamentum tamen illorum respondetur Poncio.

Vel omnes Eucharistiae reviviscunt, vel nullas

61. Sacramenta omnino, vel saltem pro aliquo tempore interabilia, videtur aliquibus magis necessario debere reviviscere.

62. Objectioni in contrarium

Respondet Lugo.

57. Nullum Sacramentum habet vim ad remittenda peccata futura.

Non remittuntur ex parte Dei peccata, antequam committantur.

58. Confessio valida & informis (postquam commissum sunt nova peccata) non reviviscit per solam attritionem generalem.

59.

ad id institutus esse ad id significandum; sic de alijs Sacramentis ex peculiari eorum sine colligitur instituta esse ad operandum etiam ablato obice, & per consequens ad id significandum, licet id non evidenter, sed probabiliter ex eorum institutione colligatur.

Equidem his non obstantibus, ita se habet de reviviscentiâ definita sententia voluntatis Dei.

CONCLUSIO V.

Habere effectum gratiæ, recedente fictione seu obice, soli convenit Baptismo, non autem alijs Sacramentis.

63. **E**st communior DD. Gab. Majoris, Soti & aliorum, quos citat Covarr. in cap. Alma p. 1. §. 4. n. 13. & quamvis D. Thom. in Summa, Scotus & alij antiquiores Theologi hoc non dicant expressè, tamen quia de solo Baptismo explicant, quomodo recedente fictione habeat effectum, circa alia verò Sacramenta de hoc nihil dicunt, videntur ut certum supponere, quòd alia Sacramenta non habeant hoc privilegium. Consimiliter Divus Augustinus locis supra citatis, ubi Baptismo tribuit hunc effectum, nunquam alijs Sacramentis eum adscribit.

D. Thom. Scotus & alij antiquiores faciendo expressam mentionem reviviscentiæ Baptismi, & non aliorum Sacramentorum, videntur conclusionem supponere.

Fundamentum Conclusionis ex D. Augustino non faciente mentionem aliorum Sacramentorum.

Atque hinc sumitur fundamentum conclusionis; quippe non sunt fingendi effectus Sacramentorum absque fundamento in Scriptura vel traditione Patrum; quia Sacramenta sunt signa efficacia ad placitum instituentis, quod placitum non potest nobis aliter innotescere, quàm per Scripturam vel Ecclesiæ traditionem: jam autem nihil habemus, unde constet alijs Sacramentis, præter Baptisimum, esse hoc privilegium concessum.

64. **P**orrò argumentum à paritate rationis in positi vis nullius est momenti, nisi ostendi possit privilegium, v. g. uni concessum, irrationabile esse, si non extendatur ad aliud, in quo militat eadem vel similis ratio; quod in præsentis non habet locum; juxta enim voluntatem suam facit Deus tam in virtutibus cæli, quàm in habitatoribus terræ: & non est qui resistat manui ejus, & dicat ei: Quare fecisti?

Non est etiam eadem ratio Baptismi &

Omitto, quòd non sit eadem ratio Baptismi, & aliorum Sacramentorum; vel enim alia Sacramenta sunt instituta ad pri-

mam gratiam & remissionem peccatorum conferendam, ut Sacramentum Poenitentiae; vel augendam primam, ut cætera; vel denique ad conferenda auxilia quædam specialia ad finem cuiusque Sacramenti. Poenitentia repeti potest quoties homini placuerit; similiter Eucharistia est iterabilis: augmentum autem gratiæ, & auxilia actualia, quæ per Sacramenta initerabilia vel simpliciter vel pro aliquo statu solent conferri, alijs medijs possunt obtineri, ut orationibus, jejunijs, operibus misericordiæ & charitatis &c. De gratia baptismali quid dicam? Cùm sit directè remissiva peccati originalis, & actualium Baptisimum præcedentium, nequit haberi nisi per Baptisimum primò collatum aut ejus votum, vel certè per Baptisimum reviviscentem; quoniam hoc Sacramentum ablutè initerabile.

Dices Primò: Rationes omnes, ob quas Aug. Baptismo tribuit reviviscentiâ, etiam conveniunt alijs Sacramentis ab Eucharistia distinctis, ac præsertim ijs, quæ imprimunt characterem: inter quas hæ sunt præcipuæ, quòd Baptisma sit opus Christi ex se sanctum, sive vim sanctificandi habens, perpetuò in homine incorruptum perseverans ratione characteris & status, in quo hominem constituit, qui perpetuò immutabilis perseverat.

65. **R**espondeo, ista quidem asseri à D. Aug. non tamen adferri pro rationibus adæquatis, ob quas putet Baptisma reviviscere: nec ex istis libris contra Donatistas satis apertè colligi potest, quid eum moverit ad hoc asserendum, nisi quod lib. 1. cap. 10. dum facit comparationem inter Baptisimum & semen, & dicit neminem intare posse regnum Dei nisi renatus fuerit, videatur motus secundo nostro argumento supra conclus. 1. quod non habet locum in alijs Sacramentis; nimirum quòd nemo salvari possit nisi renatus ex aqua (ut autem quis renascatur ex aqua, debet per eam justificari) quæ est quasi quoddam semen, per quod Christus in Ecclesia & ex Ecclesia generat filios, adeoque oportuit vim sanctificandi in aqua non perire, sed permanere, donec ablato impedimento ad regenerationem concurreret.

66. **O**bjicies Secundò & principaliter: Trident. sess. 14. cap. 2. in fine, Sacramentum Poenitentiae comparat in necessitate Baptismo dicens: *Est autem hoc Sacramentum Poenitentiae lapsis post Baptisimum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.* Et quamvis sit iterabile, non est tamen obligatio illud iterandi circa eadem peccata semel

aliorum Sacramentorum.

65. Obiectio prima ex D. August.

Responso.

66. Obiectio secunda ex Tridentino.

Sect. 6. De Reviviscencia Sacram. Concl. 5. 141

semel validè subjecta clavibus: ergo si posset esse informe; quidni revivisceret? Nam alioquin illa peccata non remitterentur directè per claves Ecclesiæ, nec esset obligatio ea confitendi ad hunc finem, quod ex vi præsentis institutionis videtur absurdum.

Ad quam respondet Valquez.

Respondet Valq. disp. 161. cap. 2. n. 13. Quamvis hoc Sacramentum sit necessarium ad salutem pro remissione mortalium, quæ post Baptisma commissa sunt, tamen si informe esse posset, non idè necessarium ad salutem diceretur, quia peccata mortalia non nisi virtute ejus re ipsa suscepti aut ejus voto remitterentur, sed quia aut his duobus modis remitti deberent, aut si re ipsa susceptum peccata non remitteret propter obicem & impedimentum, saltem ad hoc conduceret, ut impleto semel præcepto confitendi peccata illa, contritio ipsorum haberi posset, per quam sine ullo voto iterum ea confitendi remitterentur, quæ contritio sine tali voto haberi non posset, nisi priùs in illo Sacramento confessionis informi explicata fuissent, quæ etiam ratione Sacramentum ipsum re susceptum ad remissionem eorum conducere diceretur. Hæc ille, docens in principio cap. Si alicui Sacramento convenit recedente fictione, quæ impeditum fuit, gratiam conferre, nulli alteri nisi Baptismo id convenire.

67. Et si instes: quia hoc ipsum dici poterit de necessitate Baptismi; Fateor, ideoque hæc sola non est adæquatam fundamentum reviviscentiæ. Quod ergo? Necessitas, Sanctitas, Auctoritas D. Aug. & communior sensus Ecclesiæ.

Reperitur in Tridentino Baptismus validus & informis; non sic talis Pœnitentiæ.

Interim tamen (discursus gratiæ, non intentione quidpiam resolvendi) reperio in Concil. Trident. Baptismus validum & informem sess. 7. can. 4. nusquam verò Pœnitentiæ validam & informem, sed cap. 3. sess. 14. sic lego: *Sunt autem quasi materia huius Sacramenti ipsius poenitentis actus, nempe Contritio, Confessio & Satisfactio. Qui quatenus in poenitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hæc ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.*

Sed quorsum hæc? Ut intelligas ex verbis Trident. in objectione citatis nullum posse formari argumentum pro reviviscencia Pœnitentiæ informis, quam nec ibi, nec alibi Concil. agnoscit.

68. Agnoscit planè (reponit quis) nisi velis dicere peccata semel validè confessa & absoluta rursus debere subijci clavibus Ecclesiæ.

Quid si dixerò? Certè contrarium ex Trident. non convinces, utpote quod fo-

lùm agit de Confessione cum effectu remissionis in re, & non in jure tantum.

Dices: Ad quid ergo valet confessio informis? Respondeo: ad quid valet Extrema Unctio cum obice suscepta, maximè quando in illa infirmitate obex non removetur? Ad quid valet Eucharistia in malo statu suscepta? Planè ad nihil.

Quomodo ergo Sacramenta valida? quia constant materiâ & formâ essentiali, & producerent suum effectum, si invenirent subjectum dispositum. Quid si enim homo moriatur statim post illam confessionem; nam ideo apud suos Auctores invalida? Et tamen numquam habitura est aliquem effectum.

Sacramentis informia erunt adhuc valida, quia constant materiâ & formâ essentiali.

Immo verò (inquis) jam habuit. Et quem quæso? jus ut peccata illa postmodum accedente debitâ dispositione remitterentur. Quàm clara petitio principij! Probatur id oportuit, non suppositum; vel si asserendo probatur, negando refutatur.

69. Sacramenta valida informia conferre pro effectu jus ad remissionem peccatorum accedente debitâ dispositione, petitio est principij.

Non suppono (repleat aliquis Adversariorum) sed probor: quia alioquin forma nullam habebit veritatem. Nego: nam significabit: quantum est ex me confero tibi gratiam, sive remitto tibi peccata.

Contra: Ergo etiam erit validum Sacramentum, quàmvis nullus adsit dolor; siquidem & in illo casu absolutio potest habere illam significationem: similiter et si nulla adsit confessio. Respondeo negando consequentiam; quia tunc deest quasi materia Sacramenti, quæ aliàs supponitur adesse.

70.

Concludo hunc discursum, & dico: Confessio valida & informis, si detur (quod non puto) vel nihil operatur, si eadem peccata iterum oporteat subijcere clavibus Ecclesiæ; vel ad summum confert jus, ut peccata illa postmodum per contritionem aut absolutionem aliorum peccatorum directè vel indirectè possint remitti.

In hoc est verbum verum; quia decet tam sanctè accedere ad sacras functiones, ut non indigeant reviviscentiâ. Sin autem minus sanctè accesseris, pœnitentiæ age; & sicut voluntas fuerit in cælo, sic fiet. Sed quam pœnitentiæ? Optima est Contritio charitate perfecta, vel Attritio cum Sacramento, & in Sacramentis vivorum necessaria, si nunquam conferant primam gratiam: cæteroquin, sicuti primò suscepta cum sola attritione, etiam cognita, sine novo tamen peccato mortali, propter ignorantiam præcepti, secundario (ut multi docent) conferunt primam gratiam, ita cum eadem semper poterunt reviviscere, nisi fuerit obex positivus, id est, peccatum mortale tempore vel naturâ posterius susceptione,

Atque hæc factis de reviviscencia Sacramentorum, que purè putè dependet à voluntate Christi seu Dei, quæ nimis obscura est, ut asseramus alia Sacramenta præter

Baptismum reviviscere. Et ab eadem voluntate Christi dependet legitimus Minister Sacramentorum, de quo instituitur

SECTIO SEPTIMA.

De Ministro Sacramentorum.

1.
1. Cor. 4.

Sic nos existimet homo (inquit Apostolus 1. Cor. 4. v. 1.) ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Indubiè igitur ille omnis & solus est minister Sacramentorum, quem Christus in sua institutione designavit. Quis autem singulorum Sacramentorum in particulari minister à Christo sit assumptus, pertinet ad disputationes de singulis in particulari; in præfenti solùm proponemus aliqua communia ministris omnium Sacramentorum.

Non omnes Christiani in omnibus Sacramentis administrandis habent potestatem. Trident.

Suppono autem ex Concil. Trident. sess. 7. can. 10. non omnes Christianos in omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem. Verba Trident. sunt: Si quis dixerit Christianos omnes in verbo & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.

2.
Oppositus error est Lutheri,

Oppositus error est Lutheri, qui in lib. de Missa privata & Unctione Sacerdotum edito anno 1534. non solùm omnibus hominibus; sed etiam dæmonibus tribuit potestatem ministerialem omnium Sacramentorum: Ego (inquit) non dicam, quod Papista dicunt, nullum Angelorum, nec Mariam quidem ipsam consecrare posse. Sed è contra dico, si diabolus ipse veniret, & ego postea resciscerem diabolus sic irrepsisse in officium pastoris Ecclesie in specie hominis, vocatum ad prædicandum, & publicè in Ecclesia docuisse, baptizasse, celebrasse missam & absolvisse à peccatis, & tali munere functum esse iuxta institutionem Christi, tunc cogemur sateri, Sacramenta ideo non esse inefficacia, sed verum Baptismum, verum evangelium, veram absolutionem, verum Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi nos accepisse. Hæc ille.

Cujus probationes invalidæ.

Probat autem, tum quia fides nostra, dignitas & efficacia Sacramentorum, non nititur qualitate personæ, sed Christi verbis & ordinatione: tum quia Judas, qui erat membrum diaboli, non minùs prædicabat & baptizabat, quàm cæteri Apostoli. Cur igitur non possit diabolus, quod posunt membra ejus?

3.
Bellar.

Sed hæc probationes parum habent momenti: facilè respondet Bellar: lib. 1.

de Sacramentis in genere cap. 24. lit. F. Ad 1. Sacramentorum efficaciam non pendere à quacumque qualitate ministri; non enim à bonitate v. g. tamen pendet à qualitate essentiali, sine qua non esset verus minister; talis autem est, ut sit homo.

Ad 2. fatetur Jodam fuisse membrum diaboli, sed non ut tale administravit Sacramentum, verùm ut minister Christi; quia verus homo erat; & à Christo acceptat potestatem Baptizandi, quorum neutrum diabolo convenit. Et sanè Lutherus erat membrum diaboli; comedeat vitaliter, bibebat, dormiebat; num propterea hæc poterat diabolus? & quare non poterat? Citò respondeo: quia non erat homo constans animâ & corpore, sed spiritus, qui carnem & ossa non habet, adeoque incapax est ejusmodi operationum corporalium.

In altero extremo versatur Calvinus, qui nequidem in necessitate concedit mulieribus baptizari. Sic enim scribit in Antidoto ad can. 10. sess. 7. jam citatum: Nemo sanus Christianos omnes in verbi, Sacramentorumq; administratione pares facit: non solùm quia decet & ordine geri omnia in Ecclesia decet, sed etiam quod singulari Christi mandato ad eam rem ordnantur ministri. Et infra: Porro munus Baptizandi ubi mulierculis inmundum reperient, quemadmodum illis permittunt?

4.
Calvinus nequidem in necessitate concedit mulieribus baptizari

Respondeo in communi sensu & perpetuâ traditione Ecclesie. Sed, ut propius ad rem accedamus, pro doctrina Catholica erit

CONCLUSIO I.

Ordinarius minister Sacramentorum ex vi præfentis institutionis est solus homo viator ratione utens.

5.
Ultima pars nullam patitur contradictionem; constat quippe apud omnes, administrationem Sacramentorum, quæ in usu consistunt, necessariò esse actionem humanam,